NOMPARIGLIA
3

Quousque tandem abutêre, Catilina, patientiâ nostrâ? quamdiu etiam
furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata jactabit au-
dacia? nihilne te nocturnum præsidium Palatii, nihil urbis vigiliæ,
nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic muni-
tissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt?
Patêre tua consilia non sentis? constrictam jam omnium horum con-
scientiâ teneri conjurationem tuam non vides? Quid proxima, quid su-
periore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii cepe-
ris, quem nostrûm ignorare arbitraris? O tempora, o mores! Senatus
hæc intelligit, consul videt: hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam
in senatum venit: fit publici consilii particeps: notat et designat oculis
ad cædem unumquemque nostrûm. Nos autem, viri fortes, satisfacere
reipublicæ videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te,
Catilina, duci, jussu consulis, jampridem oportebat: in te conferri pe-
stem istam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An vero vir am-
plissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum, mediocriter
labefactantem statum reipublicæ, privatus interfecit: Catilinam vero,
orbem terræ cæde atque incendiis vastare cupientem, nos consules per-
feremus? Nam illa nimis antiqua prætereo, quod Q. Servilius Ahala Sp.
Melium, nobis rebus studentem, manu sua occidit. Fuit, fuit ista quon-

MARCUS TULLIUS CICERO ARPINATENSIS ORATOR

ATQUE LATINAE ELOQUENTIAE PATER AC FACILE PRINCEPS.

MARSIGLIA